

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr.
	0688
	0686
	0692
	0682
115	
in prandio quam in coena excessum feci manducando nimis avide melunas, quod in malum meum feci.	0697
Tricesima die fui totus debilis, et una acutissima febris invasit me, et ardebam calore nimio incensus, credo, quod propter melunas, quae sunt in Jerusalem dulcissimae et pin- gues. Infirmarius autem frater, Baptista, curam sollicitam mihi adhibuit, meque statim curavit procurans mihi sudores. Et ita illa die de cella non sum egressus.	0677
Tricesima prima audivi, quod duo de sociis meis pere- grinis essent infirmi, et assumto baculo pro sustentamento a monte Syon descendii cum magna difficultate propter debilita- tem meam ad hospitium dominorum peregrinorum, licet sit via satis longa descensus et ascensus, infirmosque infirmus visitavi, et mansi illo toto die cum eis; in sero vero duo milites reduxerunt me ad locum meum bene recreatum et paene sanatum (B) in montem Syon, in quem dum venissemus, invenimus totum conventum ante monasterium in cottidiana visitatione sanctorum locorum vacantem, cum quo et ego circuivi, sicut alias consueveram, et cum fratribus pariter ad dormitorium me reduxi in cellam meam etc. Hanc enim lau- dabilem et sanctam consuetudinem habent fratres montis Syon, quod omni sero, cantato et finito completorio, visitant loca sancta pro indulgentiis acquirendis, hoc modo. Primo trans- eunt ad majus altare, ubi est locus institutionis eucharistiae, et ibi se prosternunt, locum deosculantur et indulgentias percipiunt. Deinde ad locum lotionis pedum procedunt, et post hoc super ambitum circumveunt ad locum missionis Spi- ritus Sancti, et ibi descendunt ad capellam S. Thomae Apo- stoli, et ambitu circuato capellam S. Francisci ingrediuntur prope portam et columnam Domini; ibi deosculata porta exeunt claustro ad locum oratorii beatae Virginis Mariae et inde ad locum praedicationis Christi, et ibi convertunt se ad sepulch- rum David et aliorum regum sanctorum, et inde in coquinam Domini pervenient, et ab ea ad sepulchrum S. Stephani pro- cedunt, a quo circumveunt, usque ad specum poenitentiae David descendunt. De specu vero ad cornu montis Syon procedunt, convertuntque se genibus flexis contra orientem ad montem Oliveti, una et brevi oratione omnia ejus loca venerantur, et	0737
	0637
	0787
	0587
	0187
	Ende
	Anfang